Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

auro donans appianum tantum prohibuit
de largitate miraculum. ut aurea car-
mina appiani hactenus apud pluri-
mos nominentur. Hec dona fuerunt olim
amantium litteras et doctrinam. Tu vero po-
tentissime principum nulli priorum excel-
lentia minor inveniris. largitatibus
tuis. circa eruditiones exhibitis. Sed nimirum
videris. non incongrue talia facere.
Nam cum omnes virtutibus evinceris
studiose ad incrementum semper que
tua sunt evehis. quoniam historiam rerum olim
gestarum apud romanos. et grecos. inte-
gerrime cognovisti. Sciunt etenim te
per diem quidem exerceri armis et corpore.
subiectorumque negocia disceptare. iudica-
re simul et agere. modo seorsum. modo commu-
niter que sunt agenda considerare. noctibus vero
libris incumbere. Fertur autem tibi ad eorum
scientiam ministrare candelabrum arte
mechanica factum. et sponte fundens
oleum in lucernam. ut nullus circa
regalia constitutus. in laboribus tuis
cogatur affligi. et nature vim faciat
somno repugnans. Sic equidem clemens
et mansuetus circa proximos. et circa omnes
existis celestem regem tuum imitan-
do patronum. cui gratum est super iustos
et iniustos pluere. et solem facere
oriri. et alia simul invidia receden-
te largiri. Post multam vero doctrinam au-
dio te etiam lapidum scire naturas
potestatesque radicum effectusque curarum
non minus salemone david filio. sed poti-
orem virtutibus. Ille siquidem factus
libidinis servus pietatem non custodivit
ad terminum. que illi causa fuerat
bonorum et sapientie. Tu vero potentissi-
me. negligentie obiciens rationem.

videris non solum hominibus iuste. sed
etiam corporis et anime passionibus
imperare. Si autem oportet et hoc dici. au-
dio te etiam totius cibi vel poculi deside-
ria superare. et neque poma dulcia neque
aliud quicquam speciosum appetere. nisi
quantum ad tactum convenit. et solum sapori
congruit. primo te benedicente omnium
creatorem. sitim vero. estum et frigus fer-
re consuetus cottidianis exercitationibus
iam ipsam continentie putaris habere
naturam. Dudum siquidem in ponto civi-
tatem eracleam ab ercule nominatam
videre festinans. et laborantem longo
tempore sublevare. in estatis ardore
per bithiniam faciebas iter. Sole vero
circa diem medium vehementer uren-
te. videns te quidam iter agentium
sudore multo simul et pulvere squa-
lentem. quasi prestaturus occurrens
obtulit tibi poculum valde perspicuum
et velut radiis emicantem suavissimum
quendam potum in eum mittens. et aquam
frigidam super fundens. Tu vero o potentis-
sime sumens. laudasti quidem pro sua
magnanimitate virum et largitate prin-
cipali. post paululum cumulasti. sed cun-
ctis militibus ad illius poculi claritatem
nimis inhiantibus et beatificantibus qui eam
bibiturus esset. rursus ei poculum red-
didisti. precipiens ut qui vellet uteretur
eo. Unde mihi videtur iuste tuis vir-
tutibus superatum etiam alexandrum. de quo
narratur ab eis qui opera illius annuntiant.
quia ei dum per inaquosa loca appareret
cum macedonibus. diligens quidam miles
aquam inveniens. hausit et obtulit. ille
vero non bibit. sed coram omnibus effudit. Ut ergo
absolute dicatur. omnium priorum